



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm VVintoniense I. Pro Immvnitare Ecclesiastica, conntra regem  
Stephanum, qui castella ecclesiae inuaserat, & episcopos nonnullos  
carceribus mancipauerat, celebratum anno Domini MCXXXIX. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
 CHRISTI  
 1139.

*Nobile Turegum, doctoris nomine falso  
 Infedit, totamque breui sub tempore terram  
 Perfidus impure sedauit dogmatis aura.  
 Vnde venenato dudum corrupta sapore,  
 Et nimium falsi doctrina vatis inherens,  
 Seruat adhuc vna gustum gens illa paterna.*

**CONCILIVM VVINTONIENSE I.**  
 PRO IMMVNITATE ECCLESIASTICA,  
 contra regem Stephanum, qui castella ecclesie inua-  
 ferat, & episcopos nonnullos carceribus mancipauerat,  
 celebratum anno Domini MCXXXIX. tempore  
 Innocentii papae secundi.

NOTA.

\* *Concilium.*] *Causam Concilii Vvilielmus Malmesburiensis lib. 2. historiae nouellae his verbis describit: Anno dominica incarnationis 1139. venenum malitiae diu in animo Stephani regis nutritum, tandem erupit in publicum. Serebantur in Anglia rumores, iam iamque venturum e Normannia comitem Robertum cum sorore. Qua spe cum multi a rege non solum animo, sed & facto deficerent, ipse iniurias suas multorum dispendiis sarciebat. Plures etiam pro sola suspitione diuersarum contra se partium in curia sua contra decus regum captos, & ad redditionem castellorum, & ad quascumque voluit conditiones abduxit. Erant tunc duo in Anglia episcopi potentissimi Rogerius Salesberiensis, & nepos eius ex fratre Alexander Lincolnensis. Alexander ad tutamen, ut dicebat, & dignitatem episcopii, castellum de Neuwverche construxerat. Rogerius, qui adificiorum constructione magnanimum se videri vellet, plura apud Scireburnam, & apud Diuisas multum terrarum edificiis amplexus, turratas moles erexerat. Apud Malmesberiam in ipso caemeterio ab ecclesia principali vix iactu lapidis castellum inchoauerat. Castellum Salesberiae, quod regii iuris proprium esset ab Henrico rege impetratum, muro cinctum, custodia sua attraxerat. His moti quidam potentes laici, qui se a clericis & opum congerie & municipiorum magnitudine superatum iri dolerent, cacum intra pectus vulnus alebant inuidiae. Itaque conceptas querimonias regi effundunt, episcopos oblitos ordinis in castellis edificandis insanire, nulli dubium esse debere quin hac ad perniciem regis fierent omnia, dum illi statim ut venisset imperatrix cum traditione castellorum dominæ occurrerent, paternorum scilicet beneficiorum memoria inducti. Praeueniendos ergo citius, & ad deditionem munitionis arctandos, alioquin regem seram poenitentiam acturum, cum in potestate hostium videret, quae si saperet sibi apponere potuisset. Hac optimates sapius. Ille, quamuis eis nimio esset fauore obnoxius, aliquam diu auribus suis blandientes dissimulauit audire, molliens dilationis amaritudinem, vel religionis in episcopis*

Causa &  
 acta Con-  
 cili.

Concil. Tom. 27.

S

gratia, vel, quod magis opinor, sua detractionis inuidia. Denique illorum, quae proceres suaserant, effectum non distulit, cum primum volenti se occasio iniecit. Ea fuit huiusmodi.

Occasio in-  
uadendo-  
tum castel-  
lorum que:

Apud Oxenford, circa V III. Kalendas Iulii, facto Conuentu magnatum, praedicti quoque pontifices aduenerunt. Inuitus valde Saleberienfis hanc expeditionem incepit. Audiui eum dicentem verba in hanc sententiam: Per dominam meam sanctam Mariam (nescio quo pacto) reluctatur mens mea huic itineri. Hoc scio, quod eius utilitatis ero in curia, cuius est equinus pullus in pugna. Ita presagebat animus mala futura. Tunc quasi fortuna famulari videretur voluntati regis, concitatus est tumultus inter homines episcoporum & Alani comitis Britanniae, pro vendicandis hospitibus, euentu miserabili, ut homines episcopi Saleberienfis mense assidentes, semestris epulis ad pugnam profilirent. Primo maledictis, mox gladiis res acta. Satellites Alani fugati, nepos eius paulo minus occisus: victoria non incruenta episcopalibus cecidit, multis sauciatis, uno etiam milite occiso. Rex occasionem aucupatus, per antiquos incitatores conueniri iussit episcopos, ut curia sua satisfacerent de hoc quod homines eorum pacem ipsius exturbassent: modus satisfactionis foret, ut claues castellorum suorum quasi fidei vades traderent. Illos ad satisfaciendum paratos, sed de deditioe castellorum cunctantes, ne abirent, arctius asseruari precepit. Itaque Rogerium episcopum absque vinculis, cancellarium, qui nepos, vel plusquam nepos eiusdem episcopi esse ferebatur, compeditum duxit ad Diuisas, scilicet castellum multis & vix innumerabilibus sumptibus, non, ut praesul ipse dictabat, ad ornamentum, sed, ut se rei veritas habet, ad ecclesiae detrimentum edificatum. In ipsa obfessione castella Saleberia, Scireburnia, Malmesberia regi data: ipse Diuisa post triduum reddita, cum sibi ultro neum ieiunium episcopus indixisset, ut hac angustia sua animositatem episcopi Elyensis, qui eas occupauerat, flecteret. Nec episcopus Lindecolniensis obstinatus egit, redditione castelli liberationem mercatus.

Hoc regis factum in diuersas sententias soluit ora multorum. Quidam dicebant iure castellis alienatos episcopos videri; qui praeter scita Canonum adificassent: illos euangelistas pacis esse debere, non architectos domorum, quae auctoribus forent refugium maleficii. Hac amplioribus rationibus & sermonibus agebat Hugo archiepiscopus Rothomagi, quantum ille facundia poterat, maximus regis propugnator. Alii contra, quorum partibus assistebat Henricus Vintoniensis episcopus, sedis apostolica in Anglia legatus, frater regis Stephani, ut ante dixi: quem nec fraternitas necessitudo, nec periculi metus a vero exorbitare coegebat. Sic porro dicebat: Si episcopi tramitem iustitiae in aliquo transgredierentur, non esse regis, sed Canonum iudicium: sine publico & ecclesiastico Concilio illos nulla possessione priuari debuisse: regem id non ex rectitudinis zelo, sed commodi sui compendio fecisse, qui castella non ecclesiis, ex quarum sumptibus, & in quarum terris constructa erant, reddiderit, sed laicis, eisdemque parum religiosi, contradiderit. Ista vir ille cum priuatim, tum etiam publice coram rege affirmans, eiusdemque aures de liberatione & restitutione pontificum appellans, omnem consumpsit operam, in nullo auditus. Qua-

ANNO CHRISTI 1139. propter vigorem Canonum experiendum ratus, Concilium quod quatuor Kalendas Septembris celebraturus erat Vintonie, fratrem incunctanter adesse praecepit.

Acta Concilii verbis subsequenter describens subiungit: *Dicto* Acta Concilii.  
die omnes fere episcopi Angliae cum Theobaldo archiepiscopo Cantuariensi, qui Vilielmo successerat, venerunt Vintoniam, archiepiscopus Eboracensis Turstanus pro valetudine qua grauabatur, vix enim animi viribus corpus regebat, ceteri vero pro guerra literis absentiam suam excusarunt. Lectum est primo in Concilio decretum Innocentii papae, quod iam a Kalendis Martii, si bene commemini, partes sollicitudinis suae idem apostolicus domino episcopo Vintoniensi iura legationis in Anglia iniunxerat. Exceptum id summo fauore, quod diuturnitate temporis temperantiam suam ostendens episcopus, non se praecepta legatum promulgasset iactantia. Procepsit deinceps in Concilio sermo eiusdem latialiter ad literatos habitus, de indignatione captionis episcoporum, quorum Salesberiensis in camera curiae Lindcolniensis in diuersorio suo intercepti essent, Helyensis exemplum simile veritus, veloci profugio ad diuisas se calamitati exemisset. Scelus miserabile regem ab inceptoribus ita fuisse seductum, ut hominibus suis praesertim episcopis, in curia sua pace manus iniici iussisset. Adiecta esset regio dedecori caelestis iniuria, ut sub obtentu culpe pontificum ecclesiae possessionibus suis spoliarentur: sibi regis contra legem Dei excessum tanto dolori esse: ut mallet se multo dispendio & corporis & rerum suarum affici, quam episcopalem celsitudinem tanta indignitate deiici: quin etiam regem de emendatione peccati multotiens admonitum; postremo tunc Concilii vocationem non abnuisse. Proinde archiepiscopus & ceteri consulerent in medium quid opus esset factum: se ad executionem Concilii nec pro regis amicitia, qui sibi frater erat, nec pro damno possessionum, nec etiam pro capitis periculo, desuturum.

Cum hac ille sensim per amplificationem exponit, rex causa sua non diffusus, comites in Concilium misit, quarens cur vocatus esset. Responsum est a legato ex compendio: Non debere illum, qui se Christi fidei subiectum meminisset, indignari, si a ministris Christi ad satisfactionem vocatus esset, tanti reatus conscius, quantum nostra saecula nunquam vidissent. Gentilium quippe saeculorum opus esset episcopos incarcerare, & possessionibus suis exuere. Dicerent ergo fratri, quod si Concilio suo placidum commodare dignaretur assensum, tale illi, Deo auctore, largiretur, cui nec ecclesia Romana, nec curia regis Francia, nec comes Theobaldus frater amborum, sapiens profecto vir & religiosus, ex ratione contraire posset, sed quod fauorabiliter complecti deberent. Consulte vero impresentiarum rex faceret, si vel rationem facti sui redderet, vel canonicum iudicium subiret: Ex debito etiam oportere, ut ecclesia faueret, cuius sinu exceptus, non manu militum, in regnum promotus fuisset: Sic cum dicto comites egressi, nec multo post prouiso responso reuersi sunt. Comitabatur eos quidam Albericus de Ver, homo causarum varietatibus exercitatus. Is responsum regis retulit, & quantum potuit causam antistitis Rogerii, episcopus enim Alexander abierat, grauaui: Modeste tamen sine ulla verborum contumelia: quamuis quidam co-

Rex ad Synodum vocatus.

mitum stantes iuxta crebro loquelam eius interrumpent, probra in episcopum iacentes.

Albericus  
regis defen-  
sor.

Hæc ergo fuit summa dictorum Alberici: Multis iniuriis Rogerium episcopum affecisse regem Stephanum: rarissime ad curiam regis venisse: quin homines sui de eius potentia præsumentes seditiones mouissent. Qui cum sæpe alias, tum nuper apud Oxenford fecissent impetum in homines, & in ipsum nepotem comitis Alani: in homines etiam Heruei de Leions, qui esset tantæ nobilitatis, tanti supercilii, ut nunquam regi Henrico petenti animum indulerit in Angliam venire. Inuriam ergo regi Stephano redundare, pro cuius amore venerit, quod ei tanta vis illata sit. Episcopum Lincolnensem ex veteri odio in Alanum seditionis per homines suos auctorem fuisse: episcopum Salesberiensem inimicis regis clam fauere, dissimulata interim pro tempore versutia. Id regem ex multis indubitanter comperisse: eoque potissimum, quod Rogerium de Mortemer cum militibus regis, quos ducitabat in summo de Bristorvensibus metu, nec una nocte idem episcopus Malmesberia manere dimisisset. Omnibus esse in ore, quod statim ut imperatrix venisset, ille se ad eam cum nepotibus & castellis conferret. Rogerius itaque captus sic, non ut episcopus, sed ut regis seruiens, qui & procuraciones eius administraret, & solidatas acciperet. Castella non per violentiam rex eripuerit, sed episcopi ambo gratanter reddiderint: ut calumniam de tumultu, quem in curia concitauerant, euaderent. Aliquantulum pecuniarum rex in castellis inuenerit, qua ipsius legitime essent: quia eas tempore Henrici regis auunculi & antecessoris sui ex fiscali regis rebus episcopus Rogerius collegisset. Eis tamen, sicut & castellis, idem præsul pro timore commissorum in regem libens cesserit: inde non deesse testes regi. Ipsum proinde velle, ut pacta inter se & episcopos rata permanerent.

Rogerus  
Albericum  
redarguit.

Reclamatum est ab episcopo Rogerio contra sermones Alberici, quod nunquam regis Stephani minister fuisset, nec ipsius solidatas accepisset. Minæ quinetiam ab animoso viro, & qui malis erubesceret frangi, prolata, si iustitiam de rebus sibi ablati in illo Concilio non inueniret, eam in audientia maioris curia querendam. Leniter legatus, ut cetera: Omnia quæ dicuntur contra episcopos, prius in Concilio ecclesiastico & accusari, & an vera essent decussisset inquiri, quam in indemnes contra Canonum decreta sententiam proferri. Rex itaque faciat quod in forensibus iudiciis legitimum est fieri, ut reuestiat episcopos de rebus suis. Alioquin iure gentium dissaisati non placitabunt. Dictis in hunc modum utrobique multis, causa petiti regis in posterum diem dilata, nec minus in crastinum, ad aduentum archiepiscopi Rothomagensis postredie prolongata. Is ubi venit, omnium suspensis animis quidnam afferret, dixit se concedere ut castella episcopi haberent, si se iure habere debere per Canones probare possent: quod quia non possent, extreme improbitatis esse contra Canones niti velle. Et esto, inquit, iustum sit ut habeant. Certe,

Dilatio regi  
conceditur.

An & quo-  
modo liceat  
episcopis  
inuito rege  
castella pol-  
ficere.

quia suspectum est tempus, secundum morem aliarum gentium optimates omnes clauas munitionum suarum debent voluntati regis contradere, qui pro omnium pace debet militare. Ita omnis controuersia episcoporum infirmabatur. Aut enim secundum Canonum scita iniustum est ut habeant

ANNO  
CHRISTI  
1139.

ANNO  
CHRISTI  
1139.

ANNO  
CHRISTI  
1140.

ANNO  
CHRISTI  
1139.

castella, aut, si hoc pro indulgentia principali toleratur, ut tradant claues, necessitati temporis debent cedere. His addidit predictus causidicus Albericus, significatum esse regi, quod minarentur inter se pontifices, pararentque aliquos ex suis contra eum Romam mittere. Et hoc, ait, laudat vobis rex, ne quisquam vestrum presumat facere, quia si quis contra voluntatem suam & regni dignitatem ab Anglia quoquam irret, difficilis ei fortassis reditus esset. Ipse quinetiam, quia se gravari videt, vltro vos ad Romam appellat. Hæc postquam rex partim quasi laudando, partim minando mandasset, intellectum est quo tenderet. Quapropter ita difficillimum est, ut nec ipse censuram Canonum pati vellet: nec episcopi eam consultum exerere ducerent duplici ex causa, seu quia principem excommunicare sine apostolici conscientia temerarium esset, seu quoniam audirent, quidam etiam viderent gladios circa se nudari. Non enim iam ludicra erant verba, sed de vita & sanguine pene certabatur. Non omiserunt tamen legatus & archiepiscopus, quin tenorem officii sui prosequerentur. Suppliciter enim pedibus regis in cubiculo affusi orauerunt, ut miseretur ecclesie, miseretur animæ & fame sue, ne pateretur fieri dissidium inter regnum & sacerdotium. Ille dignanter assurgens, quamuis a se facti eorum amoliretur inuidiam, malorum tamen præuentus consiliis, nullam bonarum promissionum exhibuit efficaciam.

Kalendis Septembris solutum est Concilium. Hæc ille.

ANNO  
CHRISTI  
1140.

**CONCILIVM SENONENSE**  
CONTRA PETRVM ABAILARDVM  
celebratum in præsentia Ludouici regis iunioris anno  
Domini M CXL. tempore Innocentii papæ II.

NOTA.

\* Concilium. ] De tempore actis que huius Concilii Baronius anno 1140. ista: Quod ad tempus spectat, ipsum audi sanctum Bernardum, ita querentem: *Stulte mihi dudum requiem promittebam, si quidem leonina rabies quieuisset, & pax ecclesie redderetur, sed secus accidit, nam inferius: Leonem euasimus, sed incidimus in draconem, qui non minus forsitan noceat sedens in insidiis, quam ille rugiens de excelso. Quamquam non iam in insidiis, cuius virulenta folia utinam adhuc laterent in scriniis, & non in triuiis legerentur. Volant libri, & qui ode- rant lucem, quoniam mali sunt, impegerunt in lucem; putantes lucem tenebras. Urbibus & castellis ingeruntur pro luce tenebræ, pro melle, vel potius in melle, venenum passim omnibus propinatur, transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Nouum cuditur populis & gentibus euangelium, noua proponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod positum est. De virtutibus & vitis non moraliter, de sacramentis ecclesie non fideliter, de arcano sanctæ Trinitatis non simpliciter nec sobrie disputatur: sed cuncta nobis in peruersum,*

Epistola  
189.